



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv  
Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1666**

50. Sinas Euangelio subdere decernit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10854**

audita, Christianos ob viri Dei notam sanctitatem mirè recreauit, & Mauros qui vnà vehebantur, diuina rei admirabilitas sic permouit, vt vouerent se forè Christianos vbi primùm terra essent potiti. Tauarum igitur cum venissent, conspectis in littore naufragiorum reliquiis, incredibili naucleri lætitia, voti fidem baptismo exsoluerunt.

Sanciani tunc portus, quod annus mari opportunus iam verteret, nullas retinebat in Indiam naues præter duas, quarum vna Iacobi Pereria, quo nullam Xauerius inter Lusitanos fideliozem amicum habuit, & adiectiorem. Hanc eo procliuus optauit Xauerius quod nanis Odoardi Samæ ex Bungo recens, tempestate quam diximus inermis, conuulsa, & male habita, commeatu item escario carens, instauranda Siami per hyemem erat: mirum autem fuit, quod vento, dies iam quindecim reditatis in Indiam aduersante, statim vt nauim Xauerius attigit cœpit à puppi secundus adspirare: postero ergo die, annique 1551. vltimo, profa Malacam versa soluit. Naui Pereria altera sociam se adiunxit, verum forte nimium diuersa, vt post videbitur. Frequens toto illo itinere sancti viri sermo de rebus Iaponiæ, vexatione à Bonziis, certaminibus cum Fucarondono, Bungensis regis prudenti pietate, conuersionibus ethnicorum Funaij, Amanguccij, Cangoxima, & passim alibi diuino beneficio peractis: potissimum verò de facilitate Iaponici imperij Christi legibus subiugandi, si prius Sinense iis subderetur: suarum superstitionum Iaponiam, Sinas magistros, & Iudices reuereri, colere illos pro gente Orientis torius doctissima, & cordatissima; Iapones incassum tentari, & yrgeri, vt assentirentur suscipiendis Sacris, quæ religionum suarum doctissimi arbitri, vel nescirent, vel nota respuerent. Hanc imperij Sinensis vastissimi conuersionem maximè arduam, iam tum animo ingenti versabat Xauerius, ad hoc Indiam reperebat, ordinaturus res Societatis, & Neophytorum, vt se ad eam Prouinciã expediret: Ad hoc summam doctrinæ Christianæ, Sinensi lingua secum ex Iaponia referebat; futuram sociis vsui si quos ex Europa ducendos acciperet. Verumenimverò Lusitanis qui nauim eadem vehebantur, seueritatem legum Sinensium edoctis, periculosi ausus negotium videbatur, nisi si fortassis auctoritate publica gereretur, cautum enim lege inexorabili, pœna vel capitis vel perpetui carceris ne quis in id regnum pedem inferret extraneus; Lusitanos complures, ausos illuc furtim ad mercaturam irrepere, deprehensos, captos, carcere conclusos, vitam pridem in vinculis trahere, absque vlla spe recuperandæ libertatis, vnã hanc videri ad ingressum viam, si Prorex Indiæ legationem adornaret magnificam ad Imperatorem Sinarum qua Serenissimo Regi Lusitaniæ Ioanni amicitiam eius exposceret. Sed hoc tamen Prorex approbasset, non posse nauim, comitatum, dona, tanto Principe digna nisi sumptu immenso instrui, cuius vltro Prorex ne videretur quidem partem subiturus, vno illuc inducendi Xauerij præmio: Tot idololatrias mediterranea Indiæ colere, iis posse inempta facultate Euangelium prædicari, patere ad illos aditum cuius anima-

50  
Sinus Euan-  
gelio subdere  
decernit.



rum studio flagranti. At enim Pereira sub mercatore regio animos, & Apostolici hominis virtutem gerens; difficultatem hanc illico complanauit; nauim ad hoc suam, & quicquid in bonis haberet Deo eiusque famulo addixit; impetraret Pereira Xauerius à Prorege hanc legationem, Pereiram suo are illam obiturum. Restabat de naui qua eam obiret videndum, Malacam enim ferebat rumor obsidione dira premi; vbi eò venissent, nauim illam suam continuò in vsus bellicos abducendam. Nec erat Pereira inanis hic metus; nec enim solum obfessa captaque, sed magna etiã ex parte diruta fuerat Malaca, vt ei vir sanctus, vates nimium verax prænuntiauerat. Profligatissimam hanc urbem anno 1551. mense Iunio Rex Gentanæ terra marique oppugnauit, admoto exercitu duodecim millium, ex Malaiis, & Giais collecto, à quo urbis partem agrè tutatus est Petrus Sylua, armorum Præfectus, & Egidius Fernandes Caruallius, qui è regno Chedæ, tribus nauibus egregie armatis auxilio accurrerat. Obsessos intus dira fames, quàm foris hostes premebat arctius; aqua præter pluuiam nulla, & hæc admodum parca, parcius distribuabatur; impressiones simul omni ex parte assiduæ, Giais fessos Malaios subsidiaria pugna, per mutuas vices leuantibus. Patres illic è nostris perpauca, multorum operam charitate eximia supplebant. Nusquam ad muros concursus, aut confictus, quin frontem, aut medium agminis tenebant. Franciscus Peres mira præ aliis edebat, crucifixi effigie quàm à Xauerio in Iaponiam soluente olim acceperat. Semel turma Gaiorum ferociter, machinarum explosionem, & fluuium præteruicta propugnaculum occuparat, ex quo videbatur nulla vi deturbanda; Peres degenibus coram crucifixo, quem trunco arboris illigarat, dum propulsandis inde barbaris insunt Lusitani, orans hæsit, obtinuitque à Deo tam faustam victoriam, vt surgens receptum ab iis propugnaculum viderit, & trecenta humi hostium cæcorum cadauera. Sed intestinis sceleribus aduersus Malacam atrocius omni hoste furentibus, transpontana illius regione vi summa potitus Rex barbatus, direptione, incendiis, cædibus, omnia perdidit; Lusitani plus centum necati, in arcem superstites ducenti numero confugere, incolarum ad multa millia in seruitutem rapta; præda decies centenis millibus nummorum fuit. Pugnabat Funaj Xauerius aduersus Bonzios, dum Mahumetanus Malacam impugnaret; cognouit diuinitus eius periculum, hortatus est ad reditum celerem Lusitanos, fore alioqui opem eorum nimis seram, resque urbis obfessæ in extremis stare. Sed cum ferri tam procul, tam velox subsidium non posset, curare illud apud Deum magna precandi contentione laborauit; habeturque pro re minimè dubia, vt illatum urbi, ad emendationem supplicium, Deus illi priusquam infligeretur monstrare noluit, ne precum suarum efficacitate vibratum depelleret; sic arcis periculum ei postea indicasse, vt hoc suis meritis dissiparet. Hostes partim medio Septembris, Nouembri partim ineunte, coniecta in naues raptim præda, fugientibus similes abiire. Quod item Deus famulo patefecit, cum Pereira,

vt

51  
Longè distita  
enunciat Xa-  
uerij.